De glossematis falso Taciti Agricolae imputatis.

Commentatio critica

spectans Wexii editionem Agricolae,

auctore

Friderico Kritzio,

Prof. Erfurt.

Erfurti, MDCCCLVII.

Typis Gerhardti & Schreiberi.

De glossematis falso Taciti Agricolae imputatis.

Tria sunt genera lectorum, quorum in gratiam quotannis tot commentationes, narrationibus de rebus scholasticis addi solitae, componuntur. Primum idque longe amplissimum est eorum, qui talia plane non legunt, et ad se perlata ne adspectu quidem dignantur, ac pro non scriptis habent. Ad alterum non minus numerosum ii pertinent, qui et ipsi a legendo abhorrentes obiter quidem inspiciunt, sed celeriter percursum libellum citius paene deponunt quam in manus sumpserunt. Quod superest tertium genus, non numero sed pondere suo censendum, ex iis constat, qui vero litterarum amore praediti etiam parvos libellos, si modo rem contineant a bonis litteris non alienam, cognitione non indignos habent, studioque suo efficiunt, ne auctor frustra scripsisse putandus sit. Hos igitur ne poeniteat nostrae opellae aliquid temporis atque studii tribuisse, argumentum scriptionis petam ab eo opusculo praestantissimi Romanorum scriptoris, quo Iulii Agricolae vitam posteritati tradidit, ita sperans, si nostra minus placuerint, at in Tacito ipso, cui a deformationibus vindicando haec destinata sunt, satis oblectationis aequis benignisque lectoribus fore.

Nititur autem tota disputatio nostra recensione Agricolae a Carolo Wexio curata, quae anno 1852 prodiit. Omnium, qui Taciti opera ediderunt, longe optime de Agricola meritum esse Wexium, nemo eorum, qui quidem harum litterarum periti sunt, erit, qui neget. Nam quod primum est, accuratissima codicum Vaticanorum collatione sibi comparata id effecit, ut iam, quid ubique in veteribus libris legatur, quidque ab editoribus vel recte emendatum, vel inconsulto mutatum, vel temere illatum sit, certo sciatur Quod quanti sit ad librum tot mendis affectum labe sua purgandum, demonstratione non eget; nisi enim emendatio proficiscitur a scriptura codicum auctoritate firmata, quae in Agricola saepissime ignorabatur, frustra laboratur in vera auctoris manu eruenda. Veterum igitur librorum auctoritati via et ratione insistens Wexius non solum plurimas falsas lectiones, non codicibus sed editorum libidini debitas, sustulit, sed etiam accurata lin-

guae latinae scientia, acumine haud vulgari, doctrina denique exquisita instructus tam dextre gnaviterque in Agricola recensendo interpretandoque versatus est, ut egregius libellus, etiam post multorum curam multis adhuc vitiis affectus, novam plane formam induerit, et aliquanto propius ad pristinam accesserit integritatem. In tanta Wexianae editionis praestantia aegre ferendum est, quod, quum vir doctissimus incidisset in opinionem glossematis plurimis inquinata esse Taciti verba, quovis modo id egit, ut huius opinionis veritatem probaret, et haud paucos locos non solum in interpolationis suspicionem vocaret, sed, tanquam explorata res esset, uncinis appositis e textu eiiciendos censeret. Quae ratio, Tacito minime salutaris, unde fluxerit, non difficile est ad videndum. Quippe nimio ardore et quasi quodam impetu concitatus ad bene de scriptore suo merendum, non satis firmavit animum suum ad ea, quae speciem modo habent veritatis, re ipsa incertissima et plus quam dubia sunt, arcenda atque repudianda, immemor dicti Epicharmi Siculi:

νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν,

quo saluberrimo praecepto neglecto neque critica prospere exerceri, neque litterae cum fructu tractari possunt, neque ulla humana recte procedunt. Quam difficile autem sit illam Epicharmiam recte iudicandi agendique normam constanter observare, Wexius ipse invitus ostendit. Qui quum vana Walchii commenta, cuius editio Agricolae insigni documento est, quanta doctrina cum quanta ingenii perversitate coniuncta esse possit, acri et circumspecto iudicio ad severam censuram vocasset, non passus illius confidentia et vaniloquentia sibi imponi, ipse sibi in vero reperiendo non satis diffisus conceptas de glossematis in Agricola suspiciones cupidius amplexus est. Quem eius errorem per totam eius editionem diffusum hoc libello redarguere nobis propositum est.

Nullum esse scriptorem, in quo non hic illic aliquid ab imperita manu inculcatum sit, facile omnes largiuntur. Quare si quis glossemata se detexisse profitetur, rem agit per se minime improbabilem. Sed *duo et viginti* in solo Agricola reperisse sibi visus est Wexius; qui numerus pro exiguo libri ambitu tam enormis est, ut, si hoc genus corruptelarum pariter reliqua Taciti opera invasisset, vel modica supputatione plus quam quingenta glossemata prodirent. Tam incredibile hoc, ac tantopere a ceterorum scriptorum antiquorum condicione abhorrens, ut iam hac sola cogitatione deterreri debuisset, quominus novum inventum suum tam confidenter tantaque pertinacia persequeretur. Maiorem dubitationem de veritate suspicionum suarum afferre ei debebat incerta nimis et omni fundamento destituta ratio, qua probatum ivit, multa, quae in Agricola leguntur, non Taciti sed interpolatoris esse. Nam quum glossemata plerumque vel codicum inter se discrepantia vel grammaticorum testimoniis cum librorum scriptura discordantibus cognoscan-

tur, ita ut, si quid in bonis et antiquis libris absit, quod in aliis vel incommode vel praeter necessitatem additum reperitur, ex interpolatione id in contextum venisse haud temere coniiciendum sit, nihil horum in Agricolam cadit, cuius duo tantum codices exstant, neque ii admodum vetusti, et in plerisque omnibus consentientes. Quae praeterea habentur glossematum indicia, ita comparata sunt, ut non externo quodam vestigio nitantur, sed interna natura sua corruptelam prodant, ex eoque genere sunt omnia, quibus Wexius opinatus est effici, ut nonnulla verba subditicia esse intelligatur. Redit enim argumentatio eius ad id, quod Prolegg. p. 99 dicit: „quaedam talia sunt, ut a Tacito addi *non potuisse* manifestum sit.“ Quod ubi liquido demonstratum est, sane res bene se habet; sed profecto nihil magis est lubricum, nihil maioribus dubitationibus obnoxium quam ubique decernere et quid *debeat* dici, et quid dici *non possit*; neque Wexius eam probandi rationem iniit, quae sententiae suae veritatem quovis loco invictis argumentis muniat ac stabiliat, sed quae plerumque rem minime incertam aut dubiam obscuret potius atque deformet. Nam quum ea, in quibus offendit, non aliam ob caussam ferri non posse censet, quam quia sibi cum certis quibusdam cogitandi dicendique regulis, quarum observatione perfecti speciem atque formam contineri putat, ad eamque velut ad normam singula exigit, pugnare videntur, non reputavit, in iis, quae sunt, plurima reperiri non ita perfecta, nihil ut in iis desideretur, eamque ob caussam etiam in optimis scriptoribus tum veteribus tum recentioribus multa exstare, quae, licet minus legibus illis respondeant, tamen non continuo pro depravatis aut interpolatis haberi debeant, sed utcunque ferri possint. Valet id tum de sententiis, quae interdum vel non satis plane et perspicue propositae, vel negligentius nexae, vel minus apte additae videntur, tum de verbis, quorum usus vel insolentior, vel structura audacior et a legitima consuetudine dicendi abhorrens deprehenditur. Ex quo genere, quod latissime patet, longe plurima, quae quidem sanae rationi non repugnant, ferenda sunt, eo magis, quod plerisque locis credita verborum importunitas iusta neque praeiudicatis opinionibus impedita interpretatione mollitur vel plane tollitur. Quae res neglecta Wexio non magis fraudi fuit in recte aestimandis Taciti verbis, quam quod mirificam quandam rationem sibi excogitavit, qua, quomodo multa glossemata in textum invecta essent, ostenderet. Vult enim, quum verisimile sit antiquissimum codicem, unde duo illi, quos solos superstites habemus, fluxerint, in singulis paginis binas habuisse columnas, marginem unum, eumque, ut consentaneum est, in adversis paginis ad latus dextrum, in aversis ad sinistrum. Cui quum ascripta fuissent quaedam interpretamenta, quae pertinerent ad interioris columnae verba, ea a librario nonnunquam in exteriorem columnam fuisse recepta, et ita alienissimo loco posita corruptelam prodere. Non nego inter varias depravationum, quae an-

tiquos libros invaserunt, caussas etiam hanc esse posse, quamquam rarissimam; tam saepe autem hoc modo peccasse librarium in tam exiguo libello, ut ei quasi in consuetudinem abiret interpretamenta margini ascripta non solum inferre in textum, sed falso loco inferre, prorsus incredibile est. Quum igitur ad rem incertissimam probandam advocetur longe incertior, totaque argumentatio quasi circulo circumagatur, siquidem, quo demonstretur glossemata in textu esse, ponitur glossemata iam in margine fuisse, quod nullo pacto probari potest, inventum hoc fundamento prorsus caret totumque quasi *μετέωρον* pendet.

His in universum contra Wexii rationem disputatis, antequam ad singulos locos examinandos accedam, monendum mihi est, neque legisse me ullam eius libri censuram, neque cognitum habere num quae exstent; cuius rei non incuria caussa est aut negligentia, sed quod in hac urbe copia non est ephemeridum doctarum, quibus de antiquitatis litteris agitur. Propterea autem hoc commemorandum duxi, ne, si forte ab aliis iam ante me eadem vel similis de Wexiana Agricolae editione sententia lata fuerit, quod prorsus ignoro, ab illis sumpsisse insimuler, quod ipse, ex aliis non pendens, rebus non obiter sed cum cura pensitatis statuendum putavi.

In ipso narrationis de vita Agricolae initio c. 4. haec leguntur: „Cn. Iulius Agricola, vetere et illustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, *quae equestris nobilitas est.*“ In quattuor postremis verbis quum interpretes multa de *equestri nobilitate* disputassent, quae, quia rem magis obscurasse quam expedivisse videntur, neque refellere neque afferre volumus, Wexius Prolegg. p. 112 sqq. eo progressus est, ut glossema esse pronuntiaret, quia *nobilitatis* vox non diversas species eiusdem generis complectatur ut *ordo*, *dignitas*, *genus*, *locus*, neque, quemadmodum dicatur *ordo senatorius*, *ordo equestris*, etiam dictum sit *nobilitas senatoria*, *nobilitas equestris*, tanquam varii gradus nobilitatis distinguerentur. Intrusum esse hoc additamentum „ab homine satis docto, qui sciret, procuratores, qui non equites essent, equestrem dignitatem sibi et suae genti procurasse.“ — Ex his, quae vera sunt, ad rem non pertinent; cetera falsa sunt omnia. *Nobilitatis* enim vocabulum hic non antiquo illo et, ut ita dicam, politico sensu positum est; sed ut *nobilis* adiectivum non solum certam condicionem civilem, sed etiam praestantiam in universum designat, ita idem de substantivo valet. Tacitus igitur, quum dixit *procuratorem Caesarum fuisse* eam esse *equestrem nobilitatem*, hoc voluit, procuratores Caesarum non electos fuisse promiscue ex equitibus, etiam ex infimis et obscuris, sed ex iis, qui inter ceteros insignes essent; *quare munus procuratoris caesarei equiti collatum pro testimonio eius praestantiae esse.* Eo magis autem par fuit in Agricolae genere narrando *avorum* inter equites *nobilitatem*, i. e. insignem locum,

commemorari, quod statim traditur *patrem* equestrem condicionem *senatoria dignitate adepta* egressum esse. De glossemate igitur cogitari non potest. Qui autem Taciti loquendi morem tam parum noverunt, ut vulgatae scripturae docta disputatione de *nobilitate equestri* tanquam peculiari nobilitatis genere succurrendum putarent, iidem fortasse, si legerint apud Plin. H. N. XXVIII, 6, 18. *Obstetricum nobilitas* (i. e. arte scientiaque eminentes obstetrices) *non alio succu efficacius curari pronunciavit corporum pruritus*, non temperabunt sibi, quin etiam de *nobilitate obstetricia* perquam docte disputent.

C. 5. „Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, *neque segniter* ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit." Verba *neque segniter* Wexius Prolegg. p. 133 sqq. contendit a glossatore ad c. 6. *tribunatus annum quiete et otio transiit* appicta, et eo errore, de quo supra egimus, c. 5. in textum illata esse, „quibus additis rotunda et perspicua oratio conturbetur, sententia autem verborum neque augeatur neque varietur." Quae caussae difficile dictu est quid valeant ad verba Tacito abiudicanda, qui neque rotundae orationi studeat, neque sententias verbis augere ac variare soleat, ut Ciceroni mos est. Non maiorem habet vim ad Taciti verba eiicienda, quod p. 137. dicit non perspici, cur ii, qui voluptates sectarentur, in duo quasi genera digerendi essent, quorum alteri licenter et lascive id facerent, alteri segniter. His quam parum convellatur codicum auctoritas, recta verborum interpretatione sponte patebit; quae ut commode ineatur, ab extremis periodi verbis incipiendum est.

Igitur *titulum tribunatus* dixit Tacitus, non *tribunatum*, quia, quum tribuni militum, ab hoc munere militiam auspicantes, exiguum in re militari usum haberent (cf. Caes. B. G. I, 39, 2.), tribunatus plerumque inanis honor erat, adolescentibus, qui eum adepti erant, magis titulo i. e. nomine honoris sui quam rei militaris peritia in exercitu conspicuis. Additum *et inscitiam* quamquam significare potest *cum inscitia coniunctum*, quod a vi attributi vix differt, tamen simplicius est, si intelligas *et inscitiam suam*, nam et vanitate et inscitia iuvenes fere ad voluptates et desidiam impelluntur. *Rettulit* autem quum significet *spectare* vel *valere putavit*, universa sententia haec est: „tribunatus inanem honorem et inscitiam suam non habuit pro incitamento, ut vel voluptates vel commeatus appeteret." Iam qui tribunatus beneficio in id modo intenti essent, ut *voluptatibus* fruerentur, *licenter* agebant, qui *commeatus* sibi compararent, quo a laboribus abessent et libere circumvagandi copiam haberent, *segniter*. Neutrum cadebat in Agricolam. In tanta sententiae perspicuitate, in qua omnia ad iustum sensum conspirant, ne minimam quidem glossematis suspicionem reperiri in oculos incurrit. Multo magis autem patet vanam esse de origine opinatae glossae suspicionem. Nam quis credat verba

c. 6. *quiete et otio* tam obscura visa esse librario, ut interpretamento ei opus esse videretur? Et si videretur, verbis *neque segniter* illa explicari potuisse? Ceterum moneo, verba *more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt* quasi in parenthesi dicta tantummodo ad *licenter* pertinere; nam lascivia iuventutis propria; *segniter* vero agere etiam aliorum quam iuvenum esse potest. Denique non concedi potest Wexio *nec* — *neque* particulas sibi non respondere, quia prius *nec* totum enunciatum cum antecedente copulet. In promptu est enim primae periodo alteram sine iunctura addi.

C. 7. „Mucianus missum ad delectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit, *ubi decessor seditiose agere narrabatur.*" Difficultates in h. l. quaerens Wexius, quae nullae sunt, Prolegg. p. 114 sq. verba *ubi decessor* tanquam ex mutilato glossemate illata censet eiicienda, punctum post *praeposuit* ponendum, et *ea* ante *agere* inserendum. Quod si Tacitus ita scripsisset, nihil sane esset offensionis; sed non minus rectum est, quod codices testantur, modo *seditiose agere* non cum Wexio interpreteris *seditionem movere*, neque probes, quod ille dicit, verba, quae sequuntur, „*nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio*", ostendere ipsum legatum seditiosum fuisse, quod historiae repugnet. Nihil horum verum. *Seditiose agere* dicitur decessor, i. e. is, qui ante Agricolam legioni praefuit, qui fuit Roscius Caelius, propterea, *quod seditionem legionis compescere non valuit*, *eoque in seditioso statu versabatur.* Quod quum ipse Tacitus statim declaret addens „*non fuisse legatum praetorium ad cohibendum potentem*, incertum suo an militum ingenio", sane mirifice Wexius putavit *non cohibere posse seditionem* idem esse atque *seditionem concitare.* Legatus *suo* ingenio si non cohibuit, id factum eius *infirmitate*; sin *militum* ingenio, caussa non cohibendi fuit in eorum *nimia ferocia.* Eandem rem Tacitus refert in Hist. I, 60, 2. „*Trebellius seditionem* (sc. non oppressam) *et confusum ordinem disciplinae* (sc. quem labi inertia passus fuerat) *Caelio*, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat."

In Agricolae humanitate describenda, quam provincialibus praestitit, c. 9. haec leguntur: „Iam vero tempora curarum remissionumque divisa; ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus, *et saepius misericors;* ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona; *tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat.*" In his Wexius Prolegg. p. 106 primum verba *et saepius misericors* nullo modo ferri posse censet, quia hic non iam agatur de iurisdictione, de qua iam absolverit auctor, sed universe de vario Agricolae in negotiis et in otio vultu ac se gerendi ratione. Quare verba assuta esse a glossatore, qui de morum fama Agricolae sollicitus, gravitate et severitate eius commemorata, misericordiae laude eum privari noluerit. Hoc unde rescierit Wexius, equidem

ignoro; sed utique falsam esse eius opinionem minime dubium. In antecedentibus enim quum dixisset Tacitus qua *sapientia* et *peritia*, quae ingenii sunt, usus fuerit Agricola in iurisdictione, iam addit, quo *animo* fuerit tum in negotiis tum in remissionibus; ad illa autem quum *conventus* et *iudicia* vel maxime pertinerent, non idem bis dixit Tacitus, sed eandem rem ab alia parte consideravit. Quum autem Agricolae tribuit animum in negotiis obeundis gravem, intentum, severum, minime cum sana ratione pugnat addere *severitatem illam misericordia fuisse temperatam;* nam ut extra iudicia et officiorum curam misericordiae locus non fuit, ita in ipsis iudiciis, nisi res primo ad legum severitatem exactae essent, misericordia exerceri non potuit. Igitur non solum sententiae sanitas verba a Wexio eiecta tuta praestat, sed ipsa dicendi forma Taciti ea esse evincit, qui aliquoties enunciatum aliquod alio enunciato, quo res aliqua *saepius* facta dicitur, astringit; cf. c. 19. „Nec poena semper, sed *saepius* poenitentia contentus esse.“ c. 38. „Aliquando frangi aspectu pignorum suorum, *saepius* concitari.“

Paulo maiore verisimilitudinis specie Wexius Prolegg. p. 104. sqq. videri potest verba, quae statim sequuntur, *tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat*“, pro foedissimo glossemate habere, in qua sententia iam Peerlkampius fuit. Ita illi argumentantur: qui *exuit* rem, eam antea *habuit;* quare si Agricola tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuit, necesse est his vitiis olim laboraverit, id quod Tacitus dicere noluit. Quare ex interpolatione in textum illata sunt. Quae licet speciose dicta sint, tamen falsa esse concedent, qui Taciti dicendi morem prorsus peculiarem perspectum habent, quippe qui non solum in translato verborum usu longe supra priorum consuetudinem progreditur, sed etiam nimio brevitatis studio eas notiones, quae vi attributi ad substantiva definienda pertinent, omittat, ut, quo illa referenda sint, aut quem sensum habeant, non ex ipsis pateat, sed ex nexu sententiarum eruendum sit. In quo constricto dicendi genere quum vel maxime cernatur celebrata illa Taciti obscuritas et difficultas, mirum non est saepe eam interpretibus fraudi fuisse, ut vitiosa putarent, quae sanissima sunt. Ita *exuere* h. l. Tacito minime est *deponere, quod quis antea habuit;* sed quoniam ea, quae quis *exuit* (perf.), ab eo remota sunt, *exuisse* rem liberiore modo dicit eum, qui re *vacat*, eamque in se esse non patitur, quod germanice est *etwas fern von sich halten, sich von etwas frei halten. Tristitia* autem et *arrogantia* et *avaritia* non Agricolae sunt, sed solita magistratuum vitia, quae illi vulgo in provinciam afferebant. A quibus quum Agricola natura et moribus abhorreret, eoque *sine illis vitiis, quae omnibus fere praesidibus adhaerebant, in provinciam venisset,* sane non *exuebat* ea, quod probe tenendum, sed *exuerat,* i. e. plane iis vacabat. Tam plana haec, nihil ut possit esse planius. Sed obloquitur Wexius non *comparari* Agricolam cum aliis praesidibus; explicari tantum qualis ipse fuerit in officio,

qualis, ubi officio satisfactum. Audio; sed nisi in utroque melius atque humanius ceteris egisset Agricola, inepte Tacitus laudem ei hac re quaesivisset; quare sine tacita Agricolae cum ceteris praesidibus comparatione totus hic locus cogitari nequit. Quod Wexius autem praeterea affert ad glossema demonstrandum, *tristitiam*, *arrogantiam*, *avaritiam* vitia esse quovis praeside indigna, difficile dictu est, quo id pertineat. Quasi vero ea, quae indigna sunt, propterea non fiant aut fieri non possint! Immo, quia illa indigna saepissime in praesidibus reperiebantur, haec unica caussa fuit, cur Tacitus Agricolam ea *exuisse* commemoraret, recte sentiens quantae hoc illi laudi fuerit.

C. 10. Tacitus postquam narravit formam totius Britanniae a Livio et Fabio Rustico assimilatam esse oblongae scutulae vel bipenni, ita pergit: „et est ea facies citra Caledoniam, *unde et in universum fama est transgressa.*“ Pro *transgressa*, quae Rhenani coniectura est, in cod. Vat. *Δ* legitur *transgressus*, in Vat. *Γ* *transgressis*. In Rhenani emendatione acquiescentes editores interpretantur primo aspectu haud incommode: unde (i. e. ex eo, quod Britannia citra Caledoniam re vera bipennis formam habet) ea fama de universa Britannia invaluit. Sed contra Wexius monuit huic sententiae repugnare *transgredi* verbum, quod non nisi ita dicatur, ut sit *relicta* aliqua re in aliam transferri, neque vero ex parte in totum diffundi. Quod ut recte vidit, ita prorsus infeliciter *transgressis*, quod in cod. *Γ* est, glossema esse censet verbis c. 11. „Proximi Gallis et similes sunt, sed durante originis vi *(transgressis)*, seu — positio coeli corporibus habitum dedit“ ascriptum et alieno loco in textum illatum (v. supra p. 5 sq.). Quod si cui placet, credat rem incredibilem. Nobis locus alio modo expediendus videtur. Reiecta enim Rhenani coniectura tum propter sententiam, de quo supra demonstratum est, tum quia non perspicitur, quomodo *a* terminatio in *us* vel *is* depravari potuerit, cod. *Γ* scripturam *transgressis* integram habemus, *transgressus* in cod. *Δ* scribendi lapsum. *Transgressos* interpretamur Romanos vel quicunque praeterea navibus e continenti in Britanniam transgressi sunt. Quare verba *unde et in universum fama est transgressis* hunc sensum habent: unde, qui transgressi sunt, eam famam de insulae similitudine cum bipenni etiam in universum (non tantum de parte citra Caledoniam) accipiunt. *Transgressis*, qua voce facile careas, in promptu est propterea additum esse, quod non nisi hi situm Britanniae cognoscere studerent; nam qui in continenti erant, eorum parum intererat scire quam formam illa insula haberet.

C. 12. In Britanniae natura describenda leguntur haec: „Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, *fecundum*; tarde mitescunt, cito proveniunt.“ Quae quamquam planissima sunt, tamen Wexio Prolegg. p. 99. adeo importune intrusum visum est *fecundum* vocabulum, ut eo tanquam glossemate eiecto stru-

cturae, quam supra modum impeditam iudicat, consulendum censeat. Quoniam enim sequitur *mitescunt* — *proveniunt*, quae verba referuntur ad *frugum*, eam relationem ita impediri putat interposito *fecundum* vocabulo, ut nullo pacto ferri possit. Nobis de ea re secus videtur; quippe tam levis est in hoc loco severae regulae de nectendis vocabulis neglectio, sententia ipsa verborum inter se rationem monstrante, ut quum apud alios scriptores tum apud Tacitum sexcenta exempla reperiantur, quae magis a legitima structurae ratione recedant. Potuisset Tacitus scribere *frugum patiens*, *fecundum*, quo durities structurae Wexio tam molesta sublata esset; sed maluit *patiens* praeponere genitivo, *fecundum* subiicere, ut varia soli Britannici natura oppositione pariter ac gradatione emineret. Recte enim Ernestius verba illa explicat: „*non modo* accipit cultum Britannia, *sed etiam* copiosas fruges effert.“ Quam explicationem quum impugnat Wexius, quia gradatio per asyndeton facta in tam exilem et ieiunam narrationem non cadat, Tacitusque, si gradationem quaesivisset, scribere debuerit *ac fecundum* vel *atque etiam fecundum:* potuisset sane ita scribere; sed quum non ita scripsit, certe neque barbare, neque parum perspicue, neque parum apte scripsit.

Ex eodem genere alter est locus eiusdem c. 12. „Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis *utilius*, quam quod in commune non consulunt.“ Concedit Wexius Prolegg. p. 101. sq. per se latine dici posse *utile pro nobis*, sed damnat *utilius*, quia oppositio desit, qua Romani cum alio quodam, cui minus illud utile aut non utile esset, componantur. Deleto autem glossemate illo non solum tolli hoc incommodi, sed orationem etiam fieri valde nervosam. Sed ut nulla lex est, quae iubeat veterum auctorum verba, si minus nervosa videantur, propterea pro corruptis habere, aut mutatione scripturae, quam codices testantur, nervosam eam facere, ita quaesita tali modo nervositas nulla est, si sententiam corrumpit et in falsum detorquet. Falsissimum autem est, quod Wexiana mutatione Tacito obtruditur. Nam quum *multa* pro Romanis essent adversus Britannos, velut robur legionum, veteranorum colonia, praesidia castellis imposita, societates cum nonnullarum gentium principibus, Tacitus, si *non aliud* pro Romanis esse dixisset, *quam quod Britanni in commune non consulunt*, inepte dixisset, non nervose. At non dixit hoc. Dixit enim in iis, quae pro Romanis essent, nihil aliud esse utilius, quam hostium discordiam; hoc igitur omnium esse utilissimum. Vides, *utilius* in hac sententia utique necessarium esse, ac de glossemate cogitari non posse. Proclivius sane foret *pro* suspectum habere; sed ne hoc quidem verum. In promptu est enim, quo discordiarum atque dissensus effectus in utramque partem gravius illustraretur, oppositionem quaesivisse Tacitum in *adversus* et *pro* particulis.

C. 15. Britannorum querelae hae referuntur: „Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret; aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam; *alterius manum, centuriones, alterius servos vim et contumeliam miscere.*" Postrema verba quantopere ab interpretibus tentata et vexata fuerint, hic exponere nolo; hoc unum moneo, codicum scripturam, nisi quod facili et frequenti lapsu in utroque Vat. legitur *centurionis*, quod dudum correctum est, esse integerrimam. Priore loco positum *alterius* de *legato provinciae* intelligendum, posterius de *procuratore.* Ille, cui summum erat militare et civile imperium, circum se habebat selectum militum numerum selectosque centuriones, qui iussa eius vel in negotiis administrandis exsequerentur, vel exsequendis invigilarent; cf. c. 19. „Non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus *centurionem, milites ascire, sed optimum quemque fidissimum putare.*" Qui h. l. vocantur generali vocabulo *milites*, iidem c. 15. dicuntur *manus.* Officii genere quum haec manus cum centurionibus personae legati paulo coniunctior esset quam ceteri milites, non solum honori erat in eam asciri, ac fortasse etiam utilitati, unde multi, ut ex c. 19. patet, eum locum appetebant, sed, quibus is contigerat, plus sibi sumebant, iniuriis, vexationibus, vi in subditos non abstinentes. Idem faciebant procuratorum ministri, qui vel proprie *servi erant*, vel cum contemptu, utpote vilem operam illis in exigendis vectigalibus praestantes, *servi vocantur.* Utrique quum dicuntur *vim et contumeliam miscere*, hoc non significat alteros vim, alteros contumeliam facere, sed *utrosque et vim et contumeliam exercere.* Hunc locum sic intellectum, ut intelligi debet, non modo interpolationis suspicione carere, sed ne minimam quidem ulla ex parte offensionem habere, perspicuum esse puto. At Wexius glossemate affectum contendit; *servos* vocem enim in margine positam ad *manum* explicandum alieno loco in textum irrepsisse. Qua exterminata scripsit *alterius manum, centuriones alterius* etc., ad neglectam codicum auctoritatem adiiciens valde contortam et perversam verborum ab ipso mutatorum interpretationem. *Alterius manum* enim explicat *cohortem accensorum* i. e. agmen ministrorum, quibus *procurator* uteretur ad negotia sua multiplicia et variis partibus distracta obeunda; *centuriones alterius* esse dicit *legati*, qui, quum capitalium caussarum cognitionem et ius gladii haberet, per centuriones id exsequi soleret. Verum hoc per se; sed nihil huc pertinet, ubi de *vi et contumeliis centurionum* agitur, non de *legati iure gladii*, de quo iam ante verbis „*in sanguinem saeviret*" dictum est. Quae quum ita sint, infirmissimis vel potius nullis argumentis Wexius codicum scripturam impugnasse putandus est.

C. 16. „Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecoris atque humilis precario mox praefuit, ac velut pacti exercitus licentiam, dux salutem; *et seditio sine sanguine stetit.*" Postrema verba Wexius Prolegg. p. 115 sqq. dicit adeo non exspectari,

ut, si abessent, nemo desideraret. Quod ut facile conceditur, ita ipse profitetur, eo solo se non permoveri, ut verba spuria iudicaret, nisi alia caussa accederet, quae glossema argueret. Eam inesse in *stare* verbo, quod ita dici non possit, nisi ablativo addito significetur id, quo rerum cursus impediatur, velut in Taciti Hist. IV, 67. „Sequanorum *prospera acie* belli impetus *stetit.*" Non satis circumspecte hoc pronunciatum esse, facile est ad demonstrandum. *Stare* enim non solum significat *in statione esse*, sed etiam *ad stationem pervenire*, i. e. *subsistere*, plane ut vernaculum *stehen*, v. c. das Fieber steht = ist zum Stehen gekommen. Quod quum ita fiat, ut res, quae antea in motu et progressu fuit, moveri et progredi desinat, *stare* tum nude dici potest, tum ita, ut adverbiali dictione significetur vel *qua re*, vel *quo loco*, vel *quo modo* aliquid *steterit.* Non est igitur, cur non recte dici possit *seditio sine sanguine stetit*, i. e. seditio substitit *ita, ut sanguis non funderetur*, vel brevius etiam *non fuso sanguine.* Tacitus autem, quum hoc commemorare ei placuit, rem commemoravit non utique necessariam quidem, sed ad accuratam rerum Britannicarum notitiam non inutilem; seditio enim aeque multo sanguine ac sine sanguine stare potuit.

C. 22. „Nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum; *crebrae eruptiones;* nam adversum moras obsidionis annuis copiis firmabantur." Questus Wexius in Prolegg. p. 131. de nexu sententiarum verbis *crebrae eruptiones* misere conturbato ac prorsus subverso, ut rem audendo restituat, confugit ad artificium suum de glossis alieno loco in textum illatis, de quo supra diximus. Igitur primo haec verba appicta contendit in margine c. 20. ad illa „Nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis *excursibus* popularetur", ac deinde errore librarii ad hunc locum tracta ac textui inserta. Non quaeram, num *subitis excursibus* tam difficile, insolitum atque absonum sit, ut librario alicui glossa explicandum videretur; concedam hoc, quod concedi non potest; sed hoc quaeram, num verba *crebrae eruptiones* eam formam atque sententiam habeant, ut a quoquam pro glossemate verborum *subitis excursibus* haberi possint. Profecto hoc incredibilibus annumerandum. Haec igitur caussa ut concidit, ita illa quoque de misere conturbato ac prorsus subverso nexu vana reperitur. Eam enim opinionem primum genuit perversa interpunctio in omnibus editionibus, etiam Wexiana, obvia. Quum enim haec praecedant: „Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse", semicolo post *legisse* posito, sequentia pariter obliqua oratione concepta videntur ex *adnotabant* pendente, cum qua structura verba *crebrae eruptiones* sane conciliari nequeunt. At plene interpungendum est post *legisse.* Iam recta oratione ingrediuntur sequentia, quae duobus enunciatis concisis non de *opportunitatibus locorum sapienter lectis*, sed de *fortitudine praesidiorum* agunt. Pro more suo Tacitus ea sine

iunctura iuxta collocavit, res simpliciter nominasse contentus, neque orationis membra particulis vinciens. Sententiae enim ita inter se nexae sunt: Agricolae cura Romani non solum nihil mali ab hostibus patiebantur, *nullis castellis expugnatis*, sed adeo mala illis inferebant, *crebris eruptionibus factis*. Quod quomodo fieri potuerit, sequentibus illustratur, quorum sententia haec est: *quippe ad alacritatem praesidio nihil deerat*, copiis in annum provisis.

C. 24. in Hiberniae descriptione haec leguntur: „Solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt *in melius*.“ Quid sibi velit *in melius*, Wexius Prolegg. p. 132. 59. se dispicere non posse ait, quum enunciati praedicatum „*haud multum differt*“ tam plenum et solidum sit, ut alia adverbialis notatio nullo pacto adiici possit. Non dubitat igitur, confisus artificio a se reperto, quin verba a se non intellecta primo c. 25. extremi margini ascripta fuerint ad explicanda ea, quae ibi in Agricolae consilio contra hostes inito non satis perspicua viderentur; deinde aliquam huius glossae partem *(in melius)* alieno loco in c. 24 irrepsisse. Haec quomodo fieri potuerint, aut quam probabilitatis speciem habeant, contortis, confusis atque obscuris omnibus, equidem multo minus intelligo, quam Wexius vulgatae scripturae sensum non dispexit, qui minime reconditus est. Nam si quae res non pares esse, sed inter se differre dicuntur, duobus id potest fieri modis, aut ita, ut una res alteri praestet, aut ut sit inferior; si praestat, *differt in melius*, sin inferior est, *differt in deterius*. Iam quum Tacitus dicit *Hiberniae solum coelumque haud multum a Britannia differre in melius*, sensus est: *Hiberniam solo coeloque fere parem esse Britanniae, sed tamen paulo meliorem*. Vides igitur, quam recte praedicatum *haud multum differt* nova adverbiali notatione definiatur, quod fieri posse tam praefracte negat Wexius. Neque non congruit res ipsa atque natura. Quis enim nescit hodie quoque Hiberniam agrorum fertilitate atque pascuorum viriditate cum Britannia certare?

C. 34. in oratione Agricolae ad milites ante pugnam ad Graupium montem sunt haec: „Reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt. Novissimae res *et* extremo metu corpora defixere *aciem* in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.“ Magnopere hic locus criticos et interpretes torsit, quorum de extrema periodo commenta excutere et redarguere nolumus, quum codicum scriptura, quam exhibuimus, integerrima sit. Qua ut offenderent, eo factum est, quod non satis attenderunt ad peculiarem Taciti dicendi morem h. l. maxime conspicuum. Solet enim, quo a vulgari dicendi consuetudine recedat, ita orationis formam immutare, ut, quod *attributi* vim in enunciato habere debebat, *subiectum* faciat; cf. c. 6. „*Sors* quaesturae provinciam Asiam — dedit“, i. e. *sorte* in quaestura

Asia provincia ei obvenit. c. 7. „*Sequens annus* gravi volnere animum domumque eius afflixit", i. e. *sequenti anno* — animus — afflictus est. c. 22. „*Tertius* expeditionum *annus* novas gentes aperuit", i. e. *tertio anno* ad novas gentes penetratum est. c. 10. „Britannia, insularum, quas *Romana notitia* complectitur, maxima", i. e. quas Romani *notitiâ* complectuntur. c. 30. „*Priores pugnae* — spem ac subsidium in nostris manibus habebant", i. e. *prioribus pugnis* — habebamus. c. 37. „Finis sequendi *nox et satietas* fuit", i. e. finis seq. *nocte et satietate* factus est. Nostro igitur loco *novissimae res et extremo metu corpora* (sc. Britannorum) *defixere aciem* dictum pro eo, quod est: „Britanni *in novissimis rebus suis tantoque metu, ut quasi amisso animo corpora tantum videantur*, defixere aciem." Iam universa loci conformatione declarata, singula adhuc explicanda sunt. *Novissimae res* igitur, quoniam *novissimum* est *ultimum*, significant *res extremas*, i. e. prorsus desperatas ac nullam amplius spem salutis praebentes; cfr. Ann. V, 7. „Cum superesse tempus *novissimis* crederent." XII. 20. 3. „Meritum quidem *novissima* exempla Mithridatem." Tum Britanni cum contemptu dicuntur *corpora extremo* i. e. *summo metu*, sc. *correpta* (ablativi enim sunt qualitatis), quo significatur animo eos propter pavorem esse abiecto vel potius nullo. Denique *defixere aciem* significat *immotam reddidere aciem*, quod, si Britannos, ut res postulat, subiectum logicum feceris, idem est atque *stant immoti in acie*, stupentes, nihil audentes, impetum neque tentantes neque sustinentes. Quae omnia quam recte dicantur, quam commodam sententiam habeant, in oculos incurrere puto. Nihilominus Wexius Prolegg. p. 107 sqq. et p. 142. locum duobus modis corruptum dicit. *Aciem* enim glossema esse alieno loco in textum illatum; quippe quum c. 33. falso in codd. legatur „quando dabitur hostis, quando *animus?*" librarium aliquem veram correctionem *aciem* margini apposuisse, ac deinde alium hanc vocem nostro locum inseruisse. Praeterea *et* ante *extremo* primo dittographia *ex* syllabae, deinde permutatione *ex* voculae cum *et* ortum esse. Quamquam autem eiectis *et* atque *aciem* vocibus satis bona sententia prodit, neque multum diversa ab ea, quam in codicum scriptura inesse demonstravimus, tamen, cur hanc deseramus, nulla caussa reperitur. Nolim igitur Wexius mihi succenseat, si mutationem huius loci ab eo initam incredibilibus annumerandam censeam; nam profecto, quae excogitavit ad codicum auctoritatem labefactandam, incredibilia sunt.

C. 35. Ad pugnae ad montem Graupium descriptionem pertinent haec: „Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus *citra Romanum sanguinem bellandi*, et auxilium, si pellerentur." Haec verba magis grammatica quam logica difficultate laborare in promptu est; qua expedita nihil est, in quo haereas. *Victoriae* enim quum plerique omnes editores pro genitivo haberent coniungentes *victoriae decus*, dubitatio iis de *bellandi* voce commode explicanda orta est; eo factum, ut Rhenani coniecturam *bellanti* amplecterentur, quod ad

Agricolam referunt. Sed *victoriae* dativus est, ut infra demonstrabitur; quare nihil obstat, quominus *decus bellandi citra sanguinem Rom.* recte dicatur. Genitivus enim quum vi attributi substantivum ita definiat, ut declaret, in qua re illud versetur, *decus bellandi c. s. R.* est *decus, quod constat bellando,* vel *positum in bellando c. s. R.* Universi autem loci ratio haec est. Pugna cum Britannis instante, Agricola id consilii secutus est, ut aciem cum hostibus concursuram ex solis auxiliis componeret, legiones Romanas pone aciem quasi spectatores pugnae collocaret. Hae igitur *legiones pro vallo stantes* duplici oppositione dicuntur aut ingens *decus,* victoriae 'additum, si pugna sine Romano sanguine fuisset, aut *auxilium* pugnantibus sociis, si hi pellerentur. Quoniam autem tum, quum Agricola eas pro vallo collocabat, pariter incertum erat, utrum vincerent cohortes auxiliorum, an vincerentur, planissime patet *victoriae,* cui in altero membro respondet *si pellerentur,* non coniungi posse cum *decus* voce, sed per se constans vim habere enunciati condicionalis *si vinceretur* == *victoria parta, in victoria.* Hunc sensum a genitivo alienum esse facile est ad intelligendum; qui si obtineret, non posset non pendere ex *decus* voce; *victoriae decus* autem quum sit, *decus quod in victoria* (iam parta) *inest,* non possunt ita dici legiones *ante* initam pugnam, ubi de victoria nondum constabat. Secus est in dativo, qui facile ad vim condicionalis sententiae potest accedere. Nam quum is casus adhibeatur ad significandum id, ad quod praedicatum aliquod mente refertur, non necesse est id iam exstare atque adesse; nam relatio illa cogitatione perfecta non mutatur, si id, quo spectat, ex condicione pendet. His ita expositis nihil iam esse videtur, quod in h. l. ferri non possit. Sed in contrarium abit Wexius Prolegg. p. 110 sq. pronuntians verba *citra Romanum sanguinem bellandi* pannum esse assutum, quo misere Tacitus deformetur. Cuius indicii primum hoc habuit argumentum, quod intolerabilem et quovis auctore indignam efficiant tautologiam. Nam *legiones pro vallo stetere,* quod valeat *in aciem non descendere,* quid aliud significare, quam *sine Romano milite pugnatum esse?* Nihil hac sententia falsius. Nam qui *pro vallo stabant,* non eo consilio stabant, ut *non in aciem descenderent,* sed ut, *si opus esset,* pugnantibus auxilium ferrent. In *stando* igitur non fuit decus illud, quod legiones victoriae addebant; sed quum victoria aut *cum* legionibus aut *sine* iis parari posset, tantummodo in altero decus fuit, positum in eo, quod, *si solae auxiliorum cohortes suapte vi et virtute vincerent,* ducis peritiâ legionum sanguini in bello gerendo parceretur. Haec quomodo tautologiam efficiant, non intelligitur. Alterum, quo Wexius scripturam codicum impugnat, *bellandi* est vocabulum. Contendit enim, quum id nihil significet nisi *bellum gerere, pugnandi* potestate esse positum, quam non habeat, quamquam in loci sententia ne *pugnandi* quidem ferri possit, sed *vincendi* requiratur; hac autem notionum confusione vel maxime prodi spuriam verborum naturam. In his verum est cum falsissimis mixtum. Nam sane *bellare*

est *bellum gerere;* sed id ipsum huic loco optime convenit. An illa pugna, qua summa totius belli conficeretur, non pertinuit ad bellum gerundum? Quod igitur toto bello spectavit Agricola, ut, quantum posset, Romano sanguini parceret, id, si tum ei contingebat, ingens sane decus victoriae fuit. Ad hoc si reputaveris neque ullam indigere explicationem verba *ingens victoriae decus*, et illa, quae pro panno assuto habet Wexius, minime glossematum formam habere, singulis Taciti dicendi consuetudinem referentibus (vix enim glossator adhibuisset *citra*, quod plane Tacitinum est, cf. c. 1, 3.; multo minus dixisset *Romanum sanguinem*, quod poeticum colorem habet, a Tacito non alienum, a glossatore alienissimum; denique *bellandi* et forma et sensu glossatoris captum plane exsuperat), vix dubitabis, quid de „pessima illa macula Tacito inusta" statuas.

C. 36. „Ac primo congressu eminus certabatur, simulque constantia simul arte Britanni *ingentibus gladiis et brevibus cetris* missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent, quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile, *parva scuta et enormes gladios gerentibus.*" Postrema verba, quoniam sensu non differunt ab iis, quae paulo ante leguntur *Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris*, Wexius Prolegg. p. 111. ob tautologiam de glossemate suspecta habet uncinisque inclusit. Sed codicum scriptura non est sollicitanda. Nam qui non in verbis haeret, utriusque loci ratione accurate considerata facile videbit *diverso consilio* Britannorum arma commemorari, primum ad illustrandam eorum *constantiam et artem* in evitandis vel excutiendis Romanorum missilibus, deinde ad explicandum cur *inhabiles* fuerint ad pugnam in arto, et ad manum conserendam. Quamquam autem facile largimur, altero loco non utique necessariam fuisse iteratam armorum descriptionem, tamen tautologiae, quippe quae alio modo fiat, non potest accenseri. Neque continuo pro glossematis habenda atque eiicienda, quae aliquo modo abesse possunt. Valet id autem de omnibus, quae perspicuitati inserviunt, cui Tacitus, quamquam brevitatis studiosissimus, interdum aliquid vel consulto vel invitus concedit.

C. 37. „Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre; passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus, *et aliquando etiam victis ira virtusque.*" Non potest dubitari, quin Tacitus in describenda varia pugnae facie aliquid coloris duxerit e loco Virgiliano Aen. II, 367. *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* Neque magis id mirum est aut vituperandum, quam quod etiam ex Sallustio quaedam expressit, velut c. 18. „Ita petita pace ac dedita insula *clarus ac magnus haberi Agricola,*" quae dicta sunt ad haec Sallustii in Cat. 53, 1. „*Cato clarus atque magnus habetur*"; aut c. 36.

„Exterriti sine rectoribus equi — transversos aut obvios incursabant,“ quae teste Prisciano VIII, 15, 83. p. 419. Kr. in Historiarum libro I. sic legebantur: *„Equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur.“* Alia eius generis notavimus ad Hist. Fragm. I, 11. p. 13. I, 57. p. 89. Quae quum documento sint Tacitum ex diligenti praestantissimorum poetarum atque scriptorum lectione hic illic quaedam in suum usum convertisse, neque serviliter id et imperite, sed dextre et cum iudicio fecisse, Wexius Prolegg. p. 120 sq. verba *et aliquando etiam victis ira virtusque* adeo supervacanea, tralaticia et Tacito indigna iudicat, ut vix dubitari possit, quin a glossatore, Virgiliani loci memore, ascripta postea in textum venerint. Ipsam iuncturam per *et* factam id ostendere; ita enim scholiastas graecos interpretamenta sua inchoare. Quae quam citra fidem quaesita sint, in oculos incurrit. Nam ut taceam aliud esse scholiastam, cuius munus est difficiliora verba et sententias explicare, aliud glossatorem, qui temerariam ac supervacuam operam praestat, quis crediderit monachum XII vel XII seculi, (nam talem fuisse glossatorem consentaneum foret) in graecis scholiastis ita versatum fuisse, ut eorum dicendi modus ipsi in consuetudinem abiret? Ceterum Wexius, minus in hoc loco quam in reliquis iudicii certus, quamquam verba damnat, tamen in textu, puncto post *humus* posito, ex Bosii coniectura scripsit: *„Est* aliquando — virtusque.“ Sed ne hoc quidem verum. Quippe verba illa in suspicionem vocata non continent generalem sententiam, sine caussa insertam neque cum praegressis cohaerentem, sed continuatam fugae cladisque descriptionem. Nimirum inter universam stragem, aliis fugientibus, aliis ignave morti se offerentibus, campo armis corporibus laceris artubus cruore completo, *fuere etiam nonnulli, qui ira*, i. e. furore, *concitati virtutem ostenderent, neque inulti occumberent.* Hac demum commemoratione absolvi imaginem saevi spectaculi non magis liquet, quam verba, quibus sententia continetur, prorsus esse ex Taciti consuetudine. Nam *aliquando* saepissime usurpat de iis, quae *interdum*, vel *hic illic* fiunt; cf. c. 8. 9. 17. 28. 38; *ira virtusque* per ἓν διὰ δυοῖν dictum, qua figura nihil est frequentius apud Tacitum, cf. Rothii de ea re peculiarem libellum a. 1826 editum, et Ecksteinium in indice ed. Waltherianae, Vol. IV. p. 444.; denique concisae dictionis studium ei proprium cernitur in omisso *fuit* verbo. Haec omnia num glossatorem monachum sapiunt?

Adiungam huic loco alterum ex eodem genere, in quo damnando Wexius non minus iudicio lapsus est. Nam quum c. 9. legantur haec: „Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. *Haud semper errat fama; aliquando et elegit,“* postrema verba Prolegg. p. 120. praeeunte Peerlkampio, qui hic senarium iambicum deprehendisse sibi visus est, e poeta aliquo a glossatore petita

censet, ac sententiam tam tritam, quotidianam et ieiunam habere, ut Tacito prorsus indigna sint. Duobus igitur argumentis quum demonstratum iverit locum esse spurium, iam de utroque videamus. Versus in pedestri oratione vitandos censuisse veteres et studiose vitasse notissimum est; nihilominus in optimis scriptoribus tum veteribus tum recentioribus interdum vel dimidiati vel integri inveniuntur. Quos ut alii satis perverse altius quoddam et reconditius prodere crediderunt, tanquam concitatiore animo effusos (cf. Wolf. ad Tac. Ann. I, 1.), ita alii interpolationis indicium habuerunt, neutri memores et fortuitos esse tales numeros, imprudentibusque scriptoribus elapsos (cf. Cic. de Orat. III, 47, 182. *iambi et trochaei natura incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum*), et, si quando versus ita existant, plerumque malos esse et imperfectos. Ita h. l. incisio post *fama* vocem asyndeto tam gravis fit, ut versus species prorsus tollatur; praeterea extremus pes trochaeo constat; quem ut amoliretur Peerlkampius, *elegit* praesens esse dicit. Falsum hoc; neque tamen verum, quod Walchius ad c. 1. p. 105. pronuntiat, *elegit* vi aoristi significare *eligere solet*, cui sententiae non solum *aliquando* repugnat, sed ipsa temporis ratio. Est enim perfectum praesentis, quo rei praeterito tempore factae veritas ad praesens scriptoris iudicium revocatur et asseritur, ut ostendimus ad Sall. Cat. 11, 3. ed. II.; quae vis perfecti nostris hominibus non aliter intelligi potest, quam addito enuntiato *ut constat*, vel *de quo dubitari non potest*, vel simili. Ad sententiam quod attinet, quam Wexius tritam, tralaticiam, inutilem dicit, concedendum est non esse necessariam; at Tacito indignam esse et talem, quae per se, nullis externis de interpolatione indiciis, eiicienda videatur, concedi non potest. Quam multa enim etiam apud optimos scriptores leguntur, quae non necessaria sunt, neque ad rem, qua de agitur, illustrandam faciunt? An, quum in hoc ipso capite legatur: „nec illi, *quod est rarissimum*, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit," Wexius verba *quod est rarissimum*, quia neque necessaria et tralaticia sunt, propterea pro glossemate habebit? Idem valet de observatione narrationi inserta c. 27. „Iniquissima haec bellorum condicio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur." Haec igitur et alia huius generis plurima ex Wexii ratione eiicienda forent. Sed hoc num est criticam sobrie cauteque exercere?

Iam revertendum nobis est ad alium c. 37. locum, non minus praepropere et infeliciter a Wexio tentatum. De prostratis et disiectis Britannorum copiis agens Tacitus haec habet: „Ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, *rari et vitabundi invicem* longinqua atque avia petiere." In his sane negari non potest verba *rari et vitabundi invicem*, ut nunc quidem totus locus intelligitur, admodum esse suspecta, quippe quae sensu tam parum differant a praecedentibus, ut idem continuo bis dicatur. Quam ob caussam

Wexius Prolegg. p. 112. de glossemate importune intruso cogitat, praeter tautologiam offensus etiam dictione *vitabundi invicem*, quia alias, qui *vitabundi* fugere dicantur, *hostes* potius vitare studeant. Verum id quidem, sed hic minime ad rem, ubi rerum condicio diversa est. Offecit autem huic loco prava interpunctio, indeque nata falsa verborum constructio; quibus recte institutis, facile omnia in ordinem redeunt. Nimirum commate vulgo post *respectantes* posito, sane necesse erat pariter *non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes*, quam *rari et vitabundi invicem* ad *petiere* referri, quae duplex unius verbi definitio non solum valde inanem habet tautologiam, sed etiam insolito asyndeto longe durissimam. Sed ita Tacitus non dixit. Orationem enim instituit bimembrem, cuius alterum verbum finitum est *versi*, sc. *sunt*, *petiere* alterum. Prius igitur enuntiatum quum semicolo post *respectantes* terminetur, facile vides *non agminibus* — *respectantes* pertinere ad *versi sunt*, *rari et vitabundi invicem* ad *petiere*. Non minus clarum est, Tacitum, quo gravius ostenderet illa clade hostes ita esse disiectos, ut ne vestigium quidem exercitus superesset, eam rem duobus modis, negante altero, altero aiente, extulisse. Asyndeton autem, in unius enuntiati partibus non ferendum, magnam vim orationi addit duobus contrariae sententiae enuntiatis nude iuxta positis; cf. Sall. Cat. c. 52, 92 *Non votis neque suppliciis auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt.* Quae ut planissima sunt, ita res ipsa indicat *vitabundi invicem* dici de Britannis, qui studiose evitarent, ne in fuga conglobarentur, quo facilius singuli Romanis persequentibus se subtraherent.

Magnis continuisque cladibus ducum temeritate et ignavia in Pannonia, Moesia, Dacia acceptis, meliorem armorum fortunam Romani ex Agricola sperabant, quod ita refert Tacitus c. 41. „Ita quum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine *eorum*." In his vitiosum esse *eorum*, in confesso est; quod qui defendunt, qui pauci sunt, ad superatos fugatosque duces referentes, de quibus longe supra dictum, non viderunt neque grammaticam rationem neque sententiam hoc concedere. Quare alii confugerunt ad coniecturas, velut *caesorum*, *aliorum*, *horum*, *istorum*, *illorum*, *reorum*, *priorum*, quae omnes et sensu debiles, et forma parum probabiles, et a grammatica haud commendabiles sunt. Unice verum autem, quod Hugo Grotius coniecit, *ceterorum*. Quod quum in antiquiore codice, unde fluxerunt Vaticani, compendio scriptum esset hoc cōrum, eo vel pallore exstincto vel neglecto, quod aliquoties factum, et *c* littera cum *e* confusa, quod fit facillime, sequentes librarii litterarum apices magis quam sensum spectantes proclivi lapsu dederunt *eorum*. *Ceteri*, qui constans est huius vocis usus, significat *omnes alii*, qui h. l. sunt tum

antea missi in hostium terras duces ibique fugati, tum ii, qui eorum loco eo mitti possent, quorum nemo Agricolam virtute aequaret. Hac simplici ac certa via loci emendandi relicta Wexius aliud tentavit. Fingit enim extremo c. 42. ad corrigendam falsam scripturam „*eo laudis excedere, quo*" margini ascriptum fuisse *eorum*, idque alieno loco c. 41. post *formidine* in textum irrepsisse; quare importuno *eorum* pronomine eiecto Taciti genuinam manum restitui. Quae ita prodit sententia, quamquam magnam quandam habet orationis duritiem, tamen, si Wexii scriptura in codicibus exstaret, ferenda esset; sed quum depravata lectio, quae est *eorum*, ostendat primitus aliud in codicibus fuisse, nullo pacto ferri potest. Ut autem intelligatur, quam infeliciter hoc novatum sit, etiam de eo loco nobis videndum erit, qui Wexium in hunc errorem induxit, quamquam is non est ex eo genere, quod huic disputationi propositum esse voluimus. Igitur Tacitus, laudata Agricolae temporibus diris moderatione ac temperantia, c. 42. extr. prorsus egregia haec addit: „Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, *eo laudis excedere, quo* plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt." Dici vix potest, quantopere in hoc loco se torserint editores, quantopere a vero aberraverint. Omnes enim *eo* pro adverbio habentes, *excedere* interpretantur *pervenire*, eodem sensu, quo legitur c. 28. „*eo* ad extremum *inopiae venere.*" Alii hanc sententiam probantes, sed *excedere* ei non convenire rati, pro eo maluerunt *accedere*, *escendere*, *excellere*, quae omnia nihili sunt, si latinitatem, incredibiliter perversa, si sententiam spectas. Nam ita Tacitus summam laudem iis tribueret, qui ambitiosa morte inclaruerunt, ad eamque accedere diceret obsequium et modestiam; quod tantum abfuit ut dicere voluerit, ut plane contrarium dixerit. Assecutus est id unus Wexius, quamquam scite inventum non iusta cautione persecutus. Verba enim ut cum sententia, quae requiritur, conciliaret, ad artificium suum de glossematis alieno loco illatis confugiens hoc excogitavit, scribam aliquem corrupta lectione *eo* inventa rectam eius emendationem *eorum* margini appinxisse, idque proximum scribam falso antecedenti capiti inseruisse. Hanc igitur quasi ansam emendandi arripiens coniecit scriptum fuisse *eorum laudes excedere, qui* -- *inclaruerunt.* Sed quis sibi persuadeat librarium illum, quem Wexius fingit corruptam scripturam emendare voluisse, solo *eorum* pronomine id perfecisse, ceteras voces intactas reliquisse? Aut quae emendatio esse potest, qua admissa verba scriptoris multo corruptiora, obscuriora et plane inexplicabilia fiunt? Profecto enim nullo loco magis elucet, quam intricatum et monstruosum sit totum illud commentum de transiectis in aliena verba glossematis marginique adscriptis annotationibus, quae nusquam habent, quod explicent, nusquam ne specie quidem quadrant, nusquam iusta et probabili forma apparent, ut merito dicas ea

larvarum atque lemurum instar, umbras sine corpore, ex locis tenebricosis advolitare, temere circumvagari, lectorumque mentem vexare ac ludificari. Reiecta igitur Wexiana verborum mutatione de ipsa codicum scriptura videamus, quam indico integerrimam. *Eo* enim non est adverbium, quod locum aut gradum significet, sed ablativus *id* pronominis substantive positi, quod evincit quum *excedere* verbum, tum *quo* relativum, quod cum *inclaruerunt* coniunctum non potest non ablativi instrumentalis potestatem habere. Iam ut *id laudis* dicitur pro *ea laus*, ita Tacitus insolenter quidem sed non citra rationem dixit *eo laudis* pro *ea laude*, sive, quod melius huic loco convenit, *eo laudis genere*, cogitat enim non laudem per se et in universum, sed peculiarem quandam ipsique minime probatam, cui sententiae vel maxime inservit neutrum pronominis cum partitivo genitivo coniunctum. Quoniam autem qui *excedit aliqua re* eam *post se relinquit*, id ita de qualitate et gradu dixit auctor, ut sit *rem superare*, vel *re aliqua praestantiorem esse*. Verbis ita sine praeconcepta opinione intellectis, sententia prorsus egregia et Taciti consilio unice conveniens prodit haec: „Sciant — obsequium ac modestiam — *supra id laudis genus evehi, quo plerique — ambitiosa morte inclaruerunt*, i. e. *longe praestantiorem laudem conciliare, quam obstinatione et vana ambitione quaesitam mortem, qua multi inclaruerunt.* Improbat igitur Tacitus eorum morem, qui saevi imperii a malo principe exerciti impatientes intempestiva libertate et periculosis consiliis *(per abrupta)* uterentur, non quo reipublicae prodessent *(in nullum reip. usum)*, sed ut, morte ob pervicaciam affecti, gloriam eo consequerentur. Qui quum mala ambitione moti principi obniterentur, honestior sane fuit Agricola et laude dignior, qui modestiam et obsequium praestando boni civis exemplum praeberet. Ad eandem, quam illustravimus, sententiam ducit Wexii scriptura; sed quoniam nulla codicum auctoritate nititur, hi potius sequendi sunt.

C. 44., ubi habitum Agricolae describit Tacitus, in cod. Vat. *Δ* legitur verissime: „decentior quam sublimior fuit; nihil metus *et impetus* in vultu; gratia oris supererat.“ Sed quum in Vat. *Γ* exstet „nihil impetus in vultu,“ in margine autem ascriptum sit *Al' metus*, quo nihil aliud significatur, quam in alio codice adhuc legi *metus*, quae vox casu vel negligentia in cod. *Γ*. excidit, Wexius Prolegg. p. 99. contendit eam esse scripturam genuinam, quae ex antiquo aliquo codice in margine cod. *Γ*. appicta sit. Quum enim iam antiquitus interpretamentum *metus* vocis in margine positum fuerit *et impetus*, id in cod. *Γ*. commutatum esse cum vera lectione, in cod. *Δ* autem utrumque esse in verborum ordinem receptum. Reiecto igitur illo glossemate scribendum esse „*nihil metus in vultu.*“ Falsis haec argumentationibus niti in promptu est, siquidem id, quod incertissimum est, dico opinionem de antiqui codicis scriptura et de eius interpretamento margini ascripto, pro certo ponitur, quod autem plane certum et ante oculos est, plena

eaque optimum sensum praebens scriptura cod. *Δ.*, pro incerto habetur. Quam vanum sit de glossemate commentum ipsa ostendit verborum ratio. Quis enim *metus* vocem per *et impetus* explicaverit vel explicatum putaverit? Quippe cui interpretamento nulla neque formae neque sensus similitudo sit cum vocabulo interpretando. Quod ut mirum est non sensisse Wexium, ita multo magis mirum non vidisse eum prorsus praeclaram inesse in iusta scriptura sententiam et ad Agricolae habitum describendum aptissimam. Quem quum Tacitus dicat *non sublimem* fuisse, probandi caussa addit *nihil metus et impetus in vultu*, i. e. nihil in vultu erat, quod metum iniiceret intuentibus, *nihil, quod agendi vigorem et alacritatem proderet.* Quae quum summa in eo essent, Tacitus profecto negligens fuisset, si de *animi impetu* siluisset. Eundem, ne de recto vocabuli usu dubites, Caesari tribuit Cic. Epp. ad Attic. II, 21. „Timeo, tam vehemens vir tamque acer in ferro et tam insuetus contumeliae ne omni *animi impetu* dolori et iracundiae pareat."

De saevitia Domitiani insignis locus est c. 45. „Praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici, quum suspiria nostra subscriberentur, quum denotandis *tot hominum palloribus* sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat." Affectatam quandam et quaesitam interpretandi rationem iniens Wexius Prolegg. p. 63. *denotare pallore* esse dicit *pallore afficere;* quem sensum ut huic loco extorqueret, audacissima coniectura scripsit „quum *denotandis pallore oribus* sufficeret saevus ille vultus," praeter mutata ex libidine verba etiam tanquam glossema eiiciens *tot hominum*, non aliam ob caussam, quam quia „in adiectis his verbis nulla vis insit, nullum acumen." Quantopere haec a Taciti mente sanissimis verbis expressa recedant, facile est ad probandum. Cardo interpretationis versatur in *sufficeret* verbo. *Sufficere rei* quum sit parem esse rei, satis valere ad aliquam rem, sustinere rem, non defatigare aut frangi aliqua re, sententia verborum paulo explicatior haec est: „quum tot hominum pallores (i. e. tot pallescentium hominum aspectum), quos nemo ab humanitate non plane alienus tulisset, non solum ferret Domitianus illo vultu rubicundo, *sed adeo sustineret eos denotare*, i. e. intento animo in *pallores* (i. e. *pallida ora*) inquirere, sc. si quis insigniores tristitiae ac metus notas proderet, ob quas ad supplicium trahi posset. *Denotare*, quod germanice est *ins Auge fassen*, eodem modo legitur Ann. III, 53, 1. „In hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne *denotantibus vobis ora ac metum* singulorum — ipse etiam viderem eos ac velut deprehenderem." Si vellem iam ostendere, quanto melior vulgatae et codicum auctoritate firmatae lectionis sit sententia, qua Domitiani animus crudelitate gestiens egregie describitur, quam Wexianae mutationis ieiunitas, rem agerem supervacuam. Hoc unum tamen non praeteream, quum neque necessitatem deserendae vulgatae scripturae ostenderit, neque aliis exemplis usus sit, quam quibus *rubor ora notare* dicitur (Ovid. Met. IV,

329. VI, 46.), non curans aliud esse *notare*, aliud *denotare*, videri eum unice propterea coniectando indulsisse, ut copiam haberet in critica exercenda dittographiam in auxilium vocare. Sed eo, quod potuit fieri, ut *pallere oribus* corrumperetur in *palloribus*, nunquam probabitur re vera id factum esse.

Agmen claudat locus eiusdem c. 45. tenerrimi affectus plenus, quo Tacitus conqueritur ipso et uxore absentibus mortuum esse Agricolam. „Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget moestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus; nobis tam longae absentiae condicione *ante quadriennium* amissus est.“ Hic quoque Wexius, quam postrema verba et scripturae et sententiae difficultatem habent, tam parum expedivit, ut multis turbis excitatis (Prolegg. p. 26 sqq.) desinat in verbis *ante quadriennium* tanquam glossemate expellendis (p. 317.). Primus eius error in eo versatur, quod verba *nobis — amissus est* per anaphoram duobus praecedentibus membris ἐκ παραλλήλου posita esse, eoque parem cum illis sententiam habere dicit. Non vidit enim ita progredi Taciti cogitationem, ut, quum primum in universum significasset moestitiam sibi et coniugi a u g e r i, quod morienti non affuerint, deinde eum dolorem sibi esse p r o p r i u m adiiciat, denique eius rei c a u s s a m afferat in longa eaque necessaria absentia positam. Hunc nexum non particula *enim* indicari, sententiis sine iunctura iuxta positis, neminem offendere potest, qui cognitum habet nihil asyndeta oratione apud Tacitum esse frequentius. Tum in verbis *ante quadriennium* haerens, quamquam recte negat id non esse *quadriennio ante*, eo difficultatem amovere studet, quod probare conatur Tacitum quadriennium ante Agricolae mortem neque abfuisse neque abesse potuisse. Effici id putat verbis c. 44. „Sicuti magnae cuiusdem felicitatis esset — principem Traianum videre, quod augurio votisque *apud nostras aures* ominabatur.“ Ita enim necesse esse, ut iam ante quadriennium illud Agricola Traiani summum imperium ominatus sit, cui rei repugnent omina a Dione Cass. LXVII, 12. et a Plin. paneg. c. 5. 23. et 94. de Traiano narrata, quippe quae unum modo aut ad summum duos annos ante Agricolae mortem facta sint. Sed nihil hoc testimonio probatur. Dio enim atque Plinius loquuntur de laetis populi acclamationibus pro omine futuri imperii acceptis; quas leves res, in plebeculae clamoribus positas, si intellexisset Tacitus, quid opus erat ad Agricolae, gravissimi et prudentissimi viri, auctoritatem confugere? Scilicet quivis de trivio poterat ita ominari. Agricola si ominabatur, non spectabat vulgi clamores Traiano favorabiles, sed, quae erat eius perspicacitas, ex viri ingenio ac virtutibus, quas ceteri diu non satis aestimabant, iam mature coniciebat talem eum futurum, qualis postea factus est, idque secretis sermonibus cum genero habitis *(apud nostras aures)*

eloquebatur. Quod ut incertum est, quo anno factum sit, ita multo minus probari potest quattuor ante Agricolae mortem annos non esse factum. Quare nullam fidem habet, quod Wexius Prolegg. p. 28., quo quadriennii absentiam ante obitum Agricolae amoliatur, scribit *nobis tum nostrae absentiae condicione ante quadriennium amissus est*, cum Lipsio *quadriennium* intelligens illud tempus, quod intercessit inter mortem Agricolae et annum, quo hic liber scriptus est (a. 93—97. p. Chr. n.). Nihil hac sententia levius. An, si non abfuisset Tacitus, minus quadriennium a morte soceri esset? Aut, si fuit quadriennium, quomodo Tacito et uxori *solis* fuit, ceteris non fuit? Fortasse, quam haec inter se pugnent, sero assecutus, p. 317. pronuntiat *ante quadriennium* glossema esse, quae opinio pariter omni verisimilitudinis specie destituitur. Cavisset hos errores Wexius, nisi obstinasset, Tacitum longius tempus Roma non abfuisse, gravissime motus eo, quod neque apud ipsum neque apud ullum alium scriptorem eius rei mentio fit. Silent illi sane de eo, quemadmodum de cetera Taciti vita siluerunt. Sed non siluit ipse, qui planissime testetur quattuor postremos annos vivi adhuc Agricolae Roma se cum uxore abfuisse. Quod qui non credunt, propterea quod solus id tradit, non video, quomodo omnino aliquid credere possint, quod non aliorum testimonio scriptorum confirmetur. At non dixit, qua de caussa abfuerit. Verum hoc; sed dixit „longae absentiae *condicione*;“ qua voce quum peculiaris quaedam ratio declaretur absentiae ita comparatae, ut ex ea rediri tum non posset, sensu non differt a *necessitate*. Quae ea fuerit necessitas, ignoratur; nam qui de Taciti exilio cogitarunt, eos bene refutavit Wexius. Non improbabilis tamen eorum est sententia, qui eum provinciae praetoriae administratione supra solitum tempus detentum fuisse coniiciunt. Utcunque est, abfuit iam quartum annum, quum Agricola obiit, idque ipsum est, quod Tacitus dicit *suum* dolorem, *suum* vulnus; nam quum nunquam eum reviseret, iam quarto ante mortem anno eum amisit, quo anno Romam ipse reliquit. Quae sententia planissima ut recte ex verbis prodeat, pro *tam longae* scribendum est *tum longae* etc., quae genuina lectio ex antiquo cod. desumpta in margine cod. Vat. *Γ*. ascripta est. *Tum* quum sit *illo tempore, quo obiit*, iam rectissime habet *ante quadriennium*, quod multis exemplis allatis ipse concedit Wexius p. 27. probum fore „si narraret Tacitus, non quereretur.“ At narrat re vera. Nihil iam superest, quam ut moneamus, Wexium, licet *tum* receperit, tamen neque eius vim perspexisse, et sententiam eo fecisse supra modum ieiunam. Nam ne *diu* abesse Tacitum sineret, pro *longae* ex cod. *Δ* scripsit *nostrae;* quo semel recepto *tam* quidem non amplius stare poterat; sed *tum* nulla interna caussa illatum friget incredibiliter. Nam si Agricola simpliciter dicitur *amissus esse*, quid attinet adiicere eum esse *tum* amissum?